

V 9  
5365





Oct. 191.

22

DISSERTATIUNCULA

De

MARTINO LUTHERO,

primo Papatûs reformatore.

Quâ

ILLUSTRISSIMOS

COMITES RUTHENOS,

DOMINOS GRATIOSISSIMOS,

NEC NON

PLURIMUM VENERANDOS

DNN. INSPECTORES,

ET QVICUNQVE ERUDITORUM

GERAM ILLUSTRANT,

ad auscultandum gratiosissimè ac benevolè

ORATIUNCULAS,

in

*laudem laudatissimi*

LUTHERI

habendas,

humillimè, observanter, officiosè ac humanissimè

invitat

M. JO. FRID. KOEBERUS,

Illustris Ruthenèi RECTOR.

---

GERÆ, LITERIS WERTHERIANIS.

III

Vg

5365



Eteri jam olim in vulgus diverbio innotuit, quod invidia gloriæ comes sit, & velut umbra corpus subsequatur. Etenim cum inclarescit meritis vir aliquis egregius, & famæ præconio, ut par est, extollitur ubique; tunc odiò quodam exardescit æmulatio ac livor, qui dignitatem illius ac laudem obliquis intuetur oculis, obtrectat nefarie, mordet clanculum & honorem illi promeritum exhiberi, ægrè fert & iniquè. Ex morbo hoc laborant non solum magni sed etiam eruditi viri, ex quibus vix quisquam lividos aliorum, præcipuè malevolorum, dentes ac lingvas, venenò invidiæ suffusas, planè penitus evitare potest. Ex præcipuis, qui nomen consecrarunt æternitati, Heroibus eminet Christophorus Coloneus, quem vulgò Columbum vocant, Genuensis, qui primus et si novum, quem vocant, Orbem detexit, quod nemini ante ipsum contigit, tamen invidiam Hispanorum effugere non potuit. Erant enim, qui laudem, inde ipsi enatam, vel ideò imminuebant, quod nec ardua res illa fuerit, & navigatio minus periculosa, ut adeò nemo esset, quin idem efficere, sine Itali hominis studio, potuisset. Quorum cavilla Columbus, qui aderat, egregiò elusit ac confutavit invento. Tacitus quippe surgebat, & tanquam aliud agens,

o-



ovum foris allatum, in mensâ reponebat, heus foda-  
les, inquiens; num quis vestrum ita solers, qui hoc  
mihi ovum erectum & in caput statuatur? Mussitare  
illi, alter alterum adspicere, negare tandem omnes,  
id fieri posse. Ille comiter, imò fiet, inquit, & simul  
ovum, leviter à capite læsum & quassatum, colloca-  
vit erectum. Omnium hinc risus, ac tantum non  
irrisus oriebatur, & quisque, rem facilem & nugato-  
riam esse, dicebat. Quibus ille renidens, attamen,  
quis vestrum, ait, hoc facile antea arbitratus est? Ita  
etiam inventio novi Orbis habet: quem antea inve-  
niendum nemo, nunc inventum omnes invenire  
possunt. Ex piè eruditis, præter infinitos numero  
alios, invidiam aliorum variè excepit & expertus est  
Megalander Lutherus. Quem felicissimum juxta  
& laboriosissimum veritatis instauratorem deprædi-  
cant omnes & confitentur, qui puræ religionis par-  
tes sequuntur; & sunt tamen, qui palmam ipsi am-  
biguam reddere audent, nec primum operi tanto  
manus admovisse, œstrò malevolentiae perciti, sta-  
tuere præsumunt. Fecit hoc ipse Calvinianorum,  
seu, ut vocari malunt, Reformatorum primipilus,  
Udalricus Zwinglius, cujus hæc de se est magnilo-  
quentia Tomo I. Operum: *Cæpi Ego Evangelium  
prædicare anno salutis XVI. supra millesimum,  
& quingentesimum, eò scilicet tempore, cum Lu-*

theri nomen in nostris Regionibus ne auditum  
quidem adhuc erat. Sic autem predicavi,  
cum Missa adhuc in usu esset Pontificiis, Evan-  
gelium, quod in Missa legebatur, populo propo-  
sui explicandum, explicandum, inquam, non ho-  
minum commentis, sed sola Scripturarum Bibli-  
carum collatione. Tametsi tunc temporis ve-  
hementer priscis Doctoribus, ut qui essent purio-  
res & clariores, addictus essem, quantumvis me  
& illorum nonnihil pigeret. Testem hujus rei  
habere possum generosum illum & verè nobilem  
Theobaldum de Geroldseck, Administratorem  
templi Eremitici. Et paulò post: An. 19. quum  
Tigurum concessissem, & ibidem predicare cœ-  
pissim, indicavi venerabilibus Domino Preposi-  
to, ceterisque Collegii illius Capitularibus, me post-  
hac predicaturum esse Evangelium Matthæi,  
idque absque humanis Commentationibus ex solis  
fontibus Scripturæ Sacre. Initio ejus anni ne-  
mo apud nos de Luthero quicquam audierat,  
præterquam, quod de Indulgentiis quiddam pro-  
dierat, quod me parum erudire poterat, cum  
jam ante satis scirem, indulgentiarum negotium  
nihil esse, quam fucum & dolum. Didiceram  
hoc ex disputatione quadam, quam doctissimus  
Vir D. Thomas VVytttenbach, Bielensis, Patro-  
nus

nus & Praeceptor meus ante annos aliquot Basi-  
lea in confessu publico, in Schola ac Palestra  
Theologica, licet me absente, habuerat. Me tunc  
in Matthaei predicatione Lutheri scriptis parum  
esse adjutum, quis non videt? Idem confirmat  
πολυμαθές ατ. Hottingerus in Historia Ecclesiastica  
testimoniò Magistratus Tigurini, annò vigesimò  
quartò superioris seculi scriptò, quò disertè asserunt,  
Ministros suos jam per quadriennium aut quin-  
quennium docuisse Evangelium antè, quam de Lu-  
theri doctrina quicquam vel scivissent vel audivis-  
sent. Tandem audacter pro Zvinglio suo ita pro-  
nunciat Johannes Hoornbeek in summa contro-  
versiarum: *Cæpit Reformatio precedenti seculò  
annò clò Io XVI. per Hudalricum Zvingli-  
um in Helvetiâ, & anno clò Io XVII. per Mar-  
tinum Lutherum, in Saxoniâ. Zvinglium  
Luthero propono, quia utut etate minor, ante  
Lutherum tamen docere & reformare inçepit.  
Cujus quidem rei neminem laudare testem potest,  
nisi ipsum Zvinglium, & iisdem quidem verbis,  
quæ jam ante ex Tomò primò Artic. XVIII. addu-  
cta fuere. Sed quam exigui momenti ac ponderis  
sint hæc, quæ allata fuere, quotusquisque tam Ho-  
mericis oculis est, quin videat? Cæpi ego Evange-  
lium predicare anno salutis XVI. supra millesi-*

*mum & quingentesimum*; ait Reformator ille, si  
Diis placet, primus. Dicit: ergò verum est. Inep-  
tiæ! Loquitur de se. Ergò falsum non est. Gerræ  
Siculis vaniores! Cœpit prædicare Evangelium.  
Ergò reformavit Ecclesiam. Nugæ! Nam toto  
cœlo differunt Evangelii prædicatio, & Ecclesiæ Re-  
formatio. Hæc equidem sine illa esse non potest,  
illam verò fieri sine hac posse, omnia eorum stabi-  
liunt exempla, qui ante Thaumasiandrum, veritatis  
vi impulsus, Evangelii doctrinam puriorem tradere  
connisi sunt. Magistratus Tigurinus attestatur, Mi-  
nistros suos quadriennio vel quinquennio docuisse  
Evangelium, antequam Helvetiis innotesceret Lu-  
theri nomen. Verùm id non annò XVI. quem  
Zwinglius de se jactitat, sed annò demum XIX. vel  
XX. usu venit, & ideò ad minimum biennio post  
Lutherum, qui anno XVII. die XXXI. Octobris In-  
dulgentias Papales impugnare cœpit, qui & dubio  
procul diu ante (jam enim anno M. D. VIII. ad mu-  
nus docendi in Ecclesia publicè vocatus erat) Ev-  
angelium suis Auditoribus, veritatis luce magis &  
magis collustratus, sedulò ac tantum non indies ac-  
curatius proposuit, & in solatium animarum incul-  
cavit non minus, ac fortè Zwinglius fecit. Tan-  
dem Hoornbeckius τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖ & quod dixit, pro-  
bat ex eo, quod probationis eget, nec adeò ad rem  
facit,



facit, & turpem περιουτολογίαν sapit; unde τα πρωτεια  
Zwinglii sui quam ruinoso nitantur fundamento, fa-  
cile hariolari potest. Et nescio annon livorem re-  
doleat, quoties, quos diximus haecenus, vel se vel a-  
lios praedicasse Evangelium ante Lutherum, ingemi-  
nant. Mallent scilicet, nunquam Lutheri famam  
ad se perlatam, vel solos se innotuisse mundo, ac pra-  
aliis eminuisse. Mirum verò, si Lutherus, cujus no-  
men propter theses, contra Tezelium, institorem  
impudentissimum, Wittebergæ affixas, jam Romæ  
innotuerat, nec parum affeclas Pontificis turbaverat,  
incognitus Helvetiis, & præcipuè Zwinglio fuit.  
Admodum incuriosum rerum Ecclesiæ tantum Vi-  
rum fuisse necesse est. Prætereo lubens, quod  
Zwinglius annò demum XIX. se Samsoni Mediola-  
nensi, Ordinis Franciscani Monacho, qui tunc inter  
Helvetios improbus Indulgentiarum negotiator fuit,  
se opposuit, nec, ut ipse fatetur in Apologetici Arche-  
telis præfatione, ante annum XXII. ullum contra  
adversarios scriptum publicæ luci dedit. Sileo non  
invitus, quod, seculò exactò, prius solenni ritu Jubi-  
læum celebraverunt Lutherani, quàm Calviniani;  
quod Gramondus Historicus Gall. celeberrimus ob-  
servavit, & aliàs manifestum, maximèque in apertò  
est. Cæterum pro nostra sententia (tanta veritatis  
vis est, tanta efficacia!) militant ipsi adversarii, Calvi-  
niani

19 5305  
niani Genevenses, Lavaterus, Bucerus, & alii; quo-  
rum testimonia satis luculenta exhibet Programma  
XV. τὸ πᾶν, immortalis memoriæ Scherzeri. Igitur meri-  
dianò sole clarius, cum sudum est, apparet, Lutherum no-  
strum & primum, & verè primum fuisse Religionis instau-  
ratorem, & Christianum, eumque invictum quasi Herculem,  
qui, divina adjutus ope, fœdissimum Augiæ stabulum repur-  
gavit, Hydræ Lerneæ capita refecit, & quicquid monstrorum  
Papatus aluerat, prostravit, confecit, delevit. Pro quo bene-  
ficio, ministeriò Lutheri in nos collato, tantas non immeritò  
Deo gratias agimus & habemus, quantas vel mens concipere,  
vel effari lingua potest. Nunc ne memoriam vel rei tantæ,  
vel Viri tanti seposuisse aut ingratis oblivionis cineribus con-  
didisse videamur, Agona de Luthero publicum instituturi,  
indicamus, quod septem ipsis Oratiunculis omnem maximè  
illius viri vitam recensituri simus, & ea quidem, qua fieri  
brevitate potest. Igitur I. JOH. TOBIAS CLAUSIUS,  
GRAIZA-VARISCUS, rem ipsam proponet. II. JOHAN.  
KNEUSELIUS, GERANUS, de Lutheri nativitate, corporis-  
que & animi dotibus, III. ERDMANNUS PRUCHNERUS,  
PLAVIA-VARISCUS, de Studiis Lutheri Adolescentis, IV.  
JOH. HEINRICUS PARREIDT, DELICIO-MISNICUS de  
honoribus, V. ERNESTUS à Gustedt/ EQVES SAXO, de  
opere Reformationis, VI. JOHANN. GOTTFRIED Müller/  
BREITENHOFIO-MISNICUS, de virtutibus ac VII. de-  
nique GOTTFRIED Meyer/ GERANUS, de morte Eliæ il-  
lius ultimi exponent. Qui ut ab ILLUSTRISSIMIS COMI-  
TIBUS AC DOMINIS NOSTRIS gratiosissimè, à VE-  
NERANDIS PERQVAM DNN. INSPECTORIBUS, ALIIS-  
QUE DOCTISSIMIS VIRIS benevolè, cras, DEO dante, ho-  
râ secundâ pomeridianâ in Auditoriò superiori audiantur; id  
verò est, quod enixè etiam atque etiam contendimus & roga-  
mus. P. P. d. XXII. Novembr. A. O. R., M., DC., XCII.

uo-  
ma  
neri-  
no-  
stau-  
lem,  
pur-  
orum  
ene-  
eritò  
pere,  
antæ,  
con-  
turi,  
ximi  
fieri  
SIUS,  
HAN.  
oris-  
RUS.  
IV.  
S de  
O, de  
üller/  
de-  
ia il-  
OMI-  
VE-  
ALIS-  
e, bo-  
ir; id  
roga-  
le. flo  
flo siv

ULB Halle

3

004 958 071



V077







que; tunc o  
 vor, qui digni  
 oculis, obtre  
 nozem illi pr  
 Ex morbô h  
 iam eruditi vi  
 rum, præcipu  
 nenô invidia  
 Ex præcipuis  
 Heroibus em  
 vulgò Colum  
 si novum, qu  
 mini ante ip  
 rum effugere  
 inde ipsi enat  
 ardua res illa  
 ut adeò nemo  
 minis studiô,  
 bus, qui adera  
 Tacitus quip

diverbio  
 oria co  
 pus sub  
 clarescit  
 & famæ  
 tur ubi  
 io ac li  
 intuetur  
 & ho  
 iniquè.  
 i sed et  
 os alio  
 vas, ve  
 potest.  
 ernityti,  
 quem  
 mus et  
 od ne  
 ispano  
 audem,  
 od nec  
 culosa,  
 tali ho  
 Colum  
 vento.  
 agens,  
 o.

